

## Dē castellīs (capitulum secundum)

„Magnum gaudium animum nostrum implet. Vir strēnuus in bellō erās, nunc suōs vīcānōs et dominium suum bene cūrās. Sed monēmus tē: cave inimīcōs perfidōs! – Bellum nostrō rēgnō semper ā finitīmīs malīs imminet et imminēbit.“

„Nunc supplicium habeō, domine meus. Licēbit in dominiō meō castellum aedificāre? In dominiō meō locī nātūrā mūnītam petram habeō. Etiam architectus clīvum petrōsum collaudat. Mūnīmenta magna certē inimīcōs invidōs dēterrēbunt. Castellum contrā inimīcōs rēgnum cōfirmābit et populō tūtēlam pretiōsam suppeditābit.“

„Terram et castellum spondimus, terram et castellum dabimus. Licentiam nostram obtinēbis. Nunc spondē pūblicē observantiam dominō suō.“

„Spondeō dominō meō et rēgnī meō officia observantiamque. Semper pārēbō dominō meō et praeceptīs eius. Semper manēbō fidus famulus dominī meī.“

„Nunc officiī tūī particulam complēvistī,“ respondit contentus dominus. Sed subitō commōtus: „Ubi est scrība meus?“ exclamāvit, „Vocāte scrībam meum ad solium!“ Et scrība iamiam ad solium properāvit et verba dominī litterīs mandābat: „Venceslaō veterānō licet in dominiō suō castellum aedificāre. Iānua castellī semper aperta erit dominō rēgnī et praesidium castellī incolīs tūtēlam dabit. In bellī periculō Venceslaus veterānus cum armigerīs dominō et rēgnō in auxilium properābit...“ Dēmum dominus chartam ante oculōs aulicōrum signāvit et Venceslaō dedit.

„Post cēnam invītāmus tē, amīce meus, in oppidum nostrum,“ inquit dominus. „Ūnā paulum ambulābimus, vīsītābimus honōrātōs aulicōs et praecipuē presbyterōs in templō.“

„Presbyterī in oppidō sunt? Vīcānī meī nūllum habent presbyterum. Nōnnūllī adhūc victīmās in ārīs antīquōrum deōrum mactant. Incolae in dominiō meō valdē indigent templō et presbyterō.“

„Rēcta verba, amīce. Ūnum rēgnum, ūnus dominus, ūnus Deus. Nōn dēbēmus in terrā nostrā pāgānōs habēre. Antīquī deī īnfirmitati sunt, sed Deus Chrīstiānōrum validus est, nam rēgnum nostrum contrā inimīcōs pāgānōs in bellō adiūvit. Sī ōrābimus ad ūnum Deum, semper rēgnum nostrum flōrēbit. Vītae et animae nostrae nunc Deī Chrīstiānōrum sunt. Dabimus populō tuō presbyterum ērudītum et doctum – Dīvīnās litterās virīs apportābit, etiam lūdum gubernābit et puerōs litterās recitāre docēbit.“

(Nārrātiuncula continuābit.)

Pozn: *licet, ēre, licuit* – je dovoleno, smí se (toto sloveso se používá jen ve 3. sg., proto ten zvláštní slovníkový tvar); *locī nātūra* – přirozená poloha místa; *officia (pl.) et observantiam (sg.) spondere* – slibovat poslušnost a úctu; *eius* – jeho; *officiī suī particulam complere* – učinit zadost čemu (doslova: „dostát podílu své povinnosti“; latinsky původně: „officiī suī partem complere“); *commōtus 3* – znepokojený; *litterīs mandāre* – zapisovat (doslova: „svěřovat písmu“); *honōrātus 3* – vážený; *presbyter, ī, m.* – kněz (křesťanská latina); *indigeō, ēre, uī* – potřebovat, vyžadovat; *indigere templō* (abl.) – potřebovat chrám; *inimīcus 3* – nepřátelský (pův. adj.); *adiūvō, āre, iūvī, iūtum* (+akuz.) – pomoci (komu); *sī* – jestliže (podmínková spojka); *Deī sum* – patřím Bohu; *Dīvīnae litterae, ārum, f.* – Písmo svaté;